OMNIGENÆ SAPIENTIÆ
CORIPHÆO.

NOBILIORI ROMANÆ ECCLESIÆ
STEMMATI.

SCIENTIÆ, ET VIRTUTIS LOCUPLETISSIMO
ÆRARIO.

OMNIUM VENERATIONE MERITISSIMO
COETUI.

GEMMIFERO STEMMATUM CUMULO
nitidiſsimè ſplendenti, heroica virtutum ſyndrome
clariſsimè nitenti, mirificè in ſe unita, quæ in
aliis admirantur diſperſa habenti.

AMPLISSIMO UNDEQUAQUE
CONGRESSUI.

NOBILITATE SUPER ÆTHERA NOTO,
VIRTUTIBUS,ET DOCTRINA IN HISPANIA LAUDATO;

Cujus inoccíduum fulgenti lampade nomen
Æthera per nitidum nuntia fama vehit.

MOECENATI OPTIMO,
PRINCIPI INTER MAXIMOS MAXIMO,

NON TANTUM INTRA, SED ETIAM
extrà ſuæ Dominationis Sphæram coruſcanti; immò
benevolos ſuper omnes ſuæ charitatis radios diffun-
denti, fortè enim de eo dictum: *Non eſt qui ſe*
abſcondat à calore ejus.

RELI-

RELIGIONIS PROPUGNACULO,
ECCLESIÆ MICANTI SCUTO,

CUJUS INSIGNIA SIGNA FORTITUDO,
ET DECOR, FLORIDA ENIM TURRIS, FORTISSIMAQUE LILIA EMINENT.

SUPEREMINENTI SACRATO OBELISCO,
altissimo Pyramidi, validissimæ Arci, è vivis, & electis Scientiæ, & Sanctitatis lapidibus, atque Hispanicæ Nobilitatis Purpurisso constructæ, quam sibi Regiam Domum ædificavit Sapientia, gloriosis Clypeis Aureis munitam, & quæ celsa de viventibus Saxis, ad Astra tollitur, ætheraque pertingens Religionis stat firmissimus Athlas, atque sistit honos, non tàm unius Hispalensis Urbis, quàm totius Hispanici Orbis.

CELSISSIMÆ (*INQUAM*) ECCLESIARUM
IBERIÆ TURRI,

CUJUS ROBORE CONSTANTER RELIGIO NIXA, quidquid ruinosæ stragis Eumenidum truculenta Cohors, Stygii Tyranni sævitie concita ciere molitur, in ipsum Tartareum Draconem impellens haùd timida formidine pallet, sed constanti firmitudine pollet.

* *
*

SED

SED QUISNAM (QUÆSO) COETUS TAM SUPRà FAMAM AUGUSTUS, TàM SUPRà LAUDEM EXCELSUS?

ILL. D. D. DECANUS, ET CAPITULUM,

ALMÆ PATRIARCHALIS, ATQUE METROPOLITANÆ ECCLESIÆ HISPALENSIS.

ERGO NOMINE DICTO DEJICIAMUS vultum, nè perſtringantur oculi tantæ Dignitatis ſplendore,& venerationis Velo luminibus obducto, aureos tantùm demiremur radios, ex hoc Sole vibrantes: etenim:

Hoc opus eſt noſtris : : :
Viribus, & Studio majus, & ingenio.
Tutior eſt, meliuſque poteſt reverentia muta
Dicere de tanto Principe; Muſa tace.

HUIC IGITUR, ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, BOETICA NOSTRA CC.RR.MM.EPARCHIA pro Comitiis Provintialibus celebrandis in unum collecta, hæc Theologica Dogmatica Aſſerta in perennaturam Panegyrim, ac Teſſeram affectus, cultus, gratitudinis, & obſequii D. O. S.

FRI-

PRIMUM ASSERTUM EX SACRA SCRIPTURA.

Simon, Simon: Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: egò autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Luc. 22. ℣. 32. Similiter Matthæus 16. ℣. 18. ſic Chriſtum Petro ſantem introducit. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Idem Joannes 21. ℣. 17. per hæc verba: *Paſce oves meas.* Igitur, ſi Chriſti oratio, Paulo teſte, ſemper fuit exaudita, Petro, ejuſque Succeſſoribus non defectura fides fuit conceſſa, & ſi privilegium confirmandi nutantes traditur; ergo ſemper firma, & immobilis ejus cenſenda eſt definitio: Quomodo enim nutantes, & vacillantes fratres in fide firmaret, ſi in throno ſuo veræ fidei definitio deficere poſſet? Vel, ſi Chriſtus Petrum Eccleſiæ ſuæ vocat ſolidiſsimam petram, ita ut portæ inferi adverſus eam prævalere non valeant, illi ab illo infallibilitatem ſummam debemus judicare impartitam; ſi enim Decretorum fallibilitas adſtruitur, quomodo Lapis, Petra, fundamentum, & firmamentum veritatis Petrus prædicatur? Et qua ratione veritas firma ſubſiſtere poſſet, ſi in rebus ad Fidem, & Mores ſpectantibus, non eſſet Summi Pontificis definitio infallibilis? Rurſus, ſi paſcendi officium Petro committitur; ergo, & Paſtoris munus præcipuum debemus fateri conceſſum: ergo jure officii bona paſcua à malis diſcernere debet: ergo ut Papa debet adſtrui infallibilis. Quis ergo, hæc Chriſto atteſtante, audeat hujus Petrę ſoliditatem evertere? Quis ejus Fidei, & Morum Decreta ex Cathedra prolata, non prædicabit infallibilia? Nullus ſane, ſi afferat non ſtateras doloſas, ſed de Sacris Scripturis, Divinam Stateram: Nobis enim iſtà videntur clariſsima teſtimonia relata, ut ſummam Romani Pontificis in Decretis ex Cathedra prolatis, etiam extrà Generalia Concilia, infallibilitatem Sacræ eſſe Scripturæ conformem, à Chriſto Dño prædicatam, ejuſque atteſtatione ſuffultam, propugnare tentabimus.

SE-

SECUNDUM ASSERTUM EX TRADITIONE.

QUod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & indè canalem in tempora nostra dirigamus; optimum est, & sine dubitatione faciendum. Verba sunt Mag. Par. Aug, lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 26. Igitur scrutari opportet; An traditio sit contraria, cui tam aperte favet Sacra Scriptura? Abs dubio partem negativam debet arripere, quicumque se Catholicum voluerit ostendere: etenim si traditiones Apostolicas, *tanquàm vel oretenùs â Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua succesione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia, ac Sacram Scripturam* (Juxta Concil. Trident.) *suscipimus, & ventramur*, non potest à traditione iri rejectum, quod à Sacra Scriptura asserimus probatum; quin potiùs, si Sacram Scripturam infallibilitati faventem adduximus; eidem traditionem auxiliari necesse est, dicamus. Sed non ab hac solà ratione movemur, certa enim suppetunt alia momenta, quibus id probare posimus. Illa etenim perpetua Ecclesiæ praxis tribus precipuè primis sæculis, absque ullo Generali Concilio Hæreses damnandi, & illicò ut damnatas habendi, testimonia etiam SS. Patrum, & Summorum Pontificum Decretales Epistolę in quibus, si attentis oculis inspiciantur, infallibilitas haud obscurè videtur; hæc (inquam) omnia palàm evincunt, hanc de Pontificia infallibilitate sententiam esie à Christo Domino in Apostolos derivatam, ab illisque ad Ecclesias, & Fideles transmissam. His igitur benè inspectis, asserimus, & probandum recipimus: Pontificiam Authoritatem pronuntiandi de Fide, & Moribus, etiam extrà Generale Concilium, judicio irreformabili ex traditione constare Apostolica, quam ità continuatam esse affirmamus, ut à nascentis Ecclesiæ exordio, ad præsens usque sæculum, in omnibus hujus summę infallibilitaris vestigia, & manifesta signa apparère probemus.

***

TERTIUM ASSERTUM EX CONCILIIS.

SI Concilia Generalia à Summo Pontifice approbata haud unquàm errasse, errarevè potuisse suponimus, nunquam aliquid Sacrę Scripturæ, traditionibusque Apostolicis adversum ab illis definitum fuisse credere debemus. Igitur, si Romani Pontificis extrà Concilia ipsa infallibilitatem, tàm Sacrę Scripturę, quam traditioni Apostolicæ consentaneam vidimus, hoc solo argumento ducti à Conciliis ipsis Generalibus traditam, approbatamque fuisse propugnare poteramus. Sed non hac sola conjectura contenti sumus, etenim jam aliquorum testimonia damus. Sit primum, omnium Primas, Magnum, scilicèt Generale Nicænum, in quo si Julio I. in Epistola ad Episcopos Antiochiæ congregatos credimus, haud obscurè hanc infallibilitatem traditam fuisse habemus, sed nè de veritate hujus Epistolæ, deque Canonum, quos allegat authoritate, controversiis implicemur, satìs erit pro nunc affirmare, quòd si Patres Nicæni infallibilitatem expressè non tradiderunt; nec pro fallibilitate aliquod suffragium tulerunt. Et etiam: quod si Sardicense Concilium, hujus Nicæni Appendix rectè dictum, attente inspiciatur, haud obscura in ejus Canonibus hujus infallibilitatis vestigia habentur. Non sicut de Nicæno, de Chalcedonensi loqui possumus; etenim Summum Pontificem, Petram Refugii vocat, &. quòd *ipsi Soli libera Potestate loco Dei sit jus discernendi secundùm Claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur, tanquàm à Vicario Apostolici Throni*, statuit. Actione etiam secunda lecta illa aurea Epistola Leonis Patres omnes clamavere! *Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem est loquutus.* Sexta etiam Synodus tàm clarè in Suggestione Synodica infallibilitatem prędicat, ut sola ejus authoritas sufficere posset ad Pontificem credendum infallibilem. Hæc pro nunc sufficiant, tempus enim, & charta deficerent si omnia eorum testimonia vellemus adducere. Igitur Romani Pontificis ex Cathedra loquentis Decreta, etiam extrà Concilium Generale prolata, debere haberi ut infallibilia, rem esse à Conciliis Oecumenicis stabilitam, & agnitam, suscipimus deffendandum. Constantienseq̄ Concilium session. 4.& 5. Nullū huic infallibilitati præjudicium inferre propugnare sumus parati.

QUARTUM ASSERTUM EX SS. PATRIBUS.

SAnctos Patres, quibus nihil magis in corde fuit, quàm Sacram Scripturam, Traditiones, & Concilia scrutari, eamdem docuisse infallibilitatem necesse est fateri. Sed nè propria authoritate tantum loqui videamur, jam aliquorum testimonia exhibemus. Non à casu, sed à consilio primum Cyprianum adducimus, quia tanquam huic infallibilitati opere, & scripto contrarium traduci videmus; sed quàm falsò, testatur ejus Epist. 55. ad Cornelium, ubi Romanum Pontificem Christi Vicarium appellat, *& Ecclesiam Romanam Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem unde unitas Sacerdotalis exhorta est, dicit.* Et Epist. 45. ad eumdem, eamdem Ecclesiam Romanam Ecclesiæ Catholicæ Matricem, & radicē agnoscit: si autem Ecclesiæ Catholicæ Matrix, & radix errare in suis definitionibus posset, idem etiam posset Ecclesiæ Catholicæ ab ipsa profluenti accidere. Maximus Ecclesiæ Doctor Hieronymus variis in locis eamdem veritatem confitetur. Hęc sunt verba illius in Epist. ad Damasum *Hæc est fides, Papa Bme. quam in Catholica didicimus Ecclēsia, quamque semper tenuimus ::: si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, sed Hæreticum comprobabit.* Consimili voce loquitur Mag. Par. Aug. præcipuè lib. 4. contra duas Epist. Pelag. cap. 12. Ubi Hæreticorum a Papa ad Synodum appellantium audaciam his verbis infectatur: *An verò congregatione Synodi opus erat ut aperta pernities damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquandò nisi Synodi Congregatione damnata sit cum potiùs rarissimè inveniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit?* Et serm. 2. de verbis Apost. de Causa Pelagian. loquens ait: *Jam enim de hac Causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: indè etiam Rescripta venerunt: Causa finita est: utinam aliquandò finiatur, & error.* Idem Athanasius, Leo Magn. Gregorius, & alii testantur, quorum verba velle referre, infinitum penè opus esset facere. Igitur his SS. Patribus tâm apertè suffragantibus dubitare nobis non licet, fidelissimum eorum Veneratorem, Interpretem, & Discipulum, nostrum semper, ac toto corde vene-

randum Magiſtrum D. Thomam in eamdem deſcendiſſe ſententiam. Septuaginta ipſius loca ab aliquibus exhibentur, inquibus haud obſcurè, ſed diſſertè hanc infallibilitatem videtur tradidiſſe. Nobis pro nunc ſequens tantùm allegare ſufficiat 2. 2. q. 1. art. 10. de editione ſymboli tractans hæc habet: *Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt Fidei, ut ab omnibus inconcuſſa Fide teneantur: hoc autem pertinet ad Authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Eccleſiæ Quæſtiones referuntur.* Nil profectò illuſtrius, nihilque evidentiùs pro doctrina hactenùs tradita dici potuit. His, igitur non futilibus aranearum telis, ſed veris Theologicis rationibus, firmiſſimiſque fundamentis fulti, aſſerere audemus, & defendere tentabimus: Summam Romani Pontificis in Deciſsionibus ex Cathedra prolatis Fidem, & Mores concernentibus, infallibilitatem, Dogma eſſe à Chriſto Domino prędicatum, traditione ad Nos miſſum, Summorum Pontificum, & Conciliorum Oraculis confirmatum, praxi Eccleſię ſervatum, innumeris SS. PP. teſtimoniis roboratum, certis Theologicis rationibus probatum, & ita experimento comprobatum, ut Pontifices omnes, quos Eccleſia à Petro uſque ad Clementem XIII. nunc feliciſſimè regnantem, (faxit Deus! per Neſtoreos annos) agnovit, erroribus omninò immunes in Decretis ex Cathedra prolatis viderit.

Pro his omnibus tuendis Palæſtra parabitur Minervalis in hac PP. CC. RR. MM. Domo Sacrata Spiritui Sancto, ubi deffenſurus adſtabit P. EMMANUEL GIL, ſub auſpiciis P. MICHAELIS ROMERO, Theologiæ Lectoris, & Aſſiſt. Provinc. Die 15. Menſis Septemb.

Veſperè. *Anno Dñi.* 1762.